



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Avla ... Thesavrorvm Dei In Passione D. N. Iesv Christi  
Effusorum ad Resvrrectionem Mvltorum**

**Eyschen, Georg von**

**Coloniae, 1655**

§. 31. Et dedit illis, dicens: bibite ex hoc omnes. Hic est enim sanguis  
mens novi testamenti.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-45515**

tas Dei, spiritus dominetur, & operatio Dei nullum sentiat impedimentum.

Domine Deus meus, magnus certè est honor sacerdotum, magna potestas sacerdotibus Novæ Legis per mirificam gratiam à te collata, quibus uti Apostolis tuis in ultima tua cæna, data est postea potestas verum corpus tuum consecrandi, gratias tibi ago quantas potest mortalis fragilitas, etenim licet indignus sim ego & cuncti, hoc tanto officio, quia tamen ex nobis eligere voluisti ad tam excellens & venerandum ministerium, rogo per hoc Sacramentum Corporis tui, quod datum est in salutem animarum nostrarum & remissionem omnium peccatorum, ut nunquam indigne celebremus, aut sumamus Sacramentum hoc, aut aliis ministremus, sed semper cum omni adoratione, humilitate, puritate, pietate, fide, & reverentia sacris altaribus assistamus.

§. 30. *Et accipiens Calicem gratias egit.*

Cur agis gratias, Domine, quod iam completum esset & finitum ius Legale & Carnalis Lex. videbatur novum iam Testamentum confici in Sacramento Eucharistiæ, nempe ablatis figuris corpus suum vivum realiter transubstantiatum, quod ipse tanto cum desiderio desideraverat dare nobis in pignus, cum charitate perpetua, ut ipse in nobis & nos in ipso permaneremus, per hoc legis novæ Sacramentum, maximum remedium salutis nostræ, essetque oblatio munda & nova ad placandam iram Dei tot sæculis humano generi infensi atque deinceps in remedium omni populo usque ad consummationem sæculi.

**D**omine qui homines elegisti ut fungerentur officio Sacerdotis, da gratiam servis tuis & doce eos semper cum puritate & omni gratiarum actione & intentione data bona tractare, ut tibi quoque semper pro me & de me sit gratum munus & acceptum sacrificium ad gloriam nominis tui, & totius populi Christiani salutem.

§. 31. *Et dedit illis, dicens: bibite ex hoc omnes. Hic est enim sanguis meus novi Testamenti.*

Utique etiam singulis potterit, ut attingendo ius in re tradita acquirerent, uti etiamnum fit in consecratione sacerdotum, & sic intelligi potest illud dedit illis, addens bibendi ex eodem præceptum, tale, quo nemo solus totum, calice contentum, ebibaret, cæterorum uno excluso. an vero bibere debuerint ante consecrationem, quæ præceptum bibendi secuta esse narratur ad modum ablutionis, iuxta id quod S. Marcus insinuat & præcis in con-

secra-

secratione sacerdotum habet, examinandum controversiarum scriptoribus relinquitur, ego pietati excolendæ nunc intentus omitto. Cesset itaque sanguis taurorum & hircorum, ut Apostolus docet, qui in sacrificiis offerri solebat, sanguis vero filii Dei unigeniti deinceps offeratur ad placandum Deum: non enim ultra adhibebitur sanguinis animantium aspersio, quæ animam abluere nequit, sed aspersio sanguinis Dominici eiusdemque cum carne sumptio mundabit conscientias hominum.

**O** Stupenda sapientia Dei quæ hunc subtilem & salutarem nostram pro salute modum instituit atque sancivit. In hoc enim dignissimo Sacramento quidquid vel cogitari vel desiderari potest, accipitur. Enimvero sumitur hic verus Dei filius Iesus Christus verus Deus & homo verus, semper unum existens cum Patre & spiritu sancto. Et quidquid demum virtutis ac meriti Christus in vita & Passione sua exercuit obtinuitque id omne hic percipitur ab anima digne preparata: imo & paratus est dulcis Iesus cunctas has virtutes per piissimam & largissimam bonitatem suam donare nobis, perinde ac si nosmet ipsi earum Domini essemus. Festinemus igitur omni studio expugnare corda nostra ab omni inquinamento peccati, & exornare virtutibus & operibus bonis ut cibum hunc salutariferum semper accipere idonei ac digni simus ad æternam gloriam benignissimi Creatoris, Amen.

*§. 32. Dico autem vobis: non bibam amodo de hoc genimine vitis usque in diem illum cum bibam vobiscum novum in regno Patris mei. v. 29.*

Hic Christus inuere videtur gloriosam suam resurrectionem, & regnum Patris sui in terris inchoandum, in cælo consummandum quod autem asserit, se non bibiturum de hoc genimine vitis ante illud regnum Patris, multiplicem capit explicationem & sensum, potest enim proprie intelligi de vino non consecrato, de quo iusserant bibere Apostoli & secundum Marcum biberunt; & potest improprie intelligi de vino Transsubstantiato, quod apparenter erat genimen vitis, utrovis modo sumas, certe Dominus mortem suam vicinam & regnum patris affirmat: quia ultimum dicebat esse quod cum ipsis biberet, & tamen novum in regno patris, hoc est post resurrectionem cum iisdem bibiturum, novum id est, novo modo, quod non amplius biberet in carne passibilis & mortalis sed impassibilis & immortalis.

**O** Domine vera sunt omnia quæ dixisti, illa enim confirmasti nimis, largire quoque mihi hanc gratiam quam discipulis largitus es, ut & ego tecum hic bibam, vinumque non consecratum ita moderate sumam ut nunquam